



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

De inanis gloriæ vitio superato. Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

quasi in vnus vita salus omniũ verteretur. Atq. his populi officiis, ac pia sedulitate bonorum, ereptus è præsentis vitæ discrimine, in id ipsum iterum ac tertio recidit ob eam causam, quòd nondum plane confirmatis viribus (blandimèta videlicet carnis, & veteris hominis malitiam veritus) præpropere festinatione ad pristinas occupationes corporis animiq. redierat: quarum pondere oppressus, deniq. didicit ipse, aliisq. deinde præcipere solitus est, imbecilla valitudine minuendos labores, curandumq. tali tempore, vt quantum de cõsuetis exercitationibus infirmitas demat, tantum ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem æquitas animi & exemplum Christianæ fortitudinis addat. Vexabat idem etiam corpus debito somno ciboq. fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, vt moderata sobrietate vegetatur animus, sic immoderata vigilia vel inedia vires adeo frági ac debilitari, vt mens earum ministerio destituta vix munere suo fungi, aut ad contemplationẽ rerum diuinarum possit exsurgere. Vexatus igitur, vt dicebamus, diuturna & periculosa ægritudine, demũ ita cõualuit, vt ex reliquiis morbi dolore stomachi molestissimo subinde cruciaretur: quapropter calceos induere, & panni crassioris tunica cinerea, & capitis tegumento contra sæuitiam hiemis munire sese piorum hominum benignitate precibusq. coactus est,

De inanis gloriæ vitio superato. CAP. X.



Ccessit ad illa corporis ægrotãtis incommoda, grauis etiam animi cruciatus, ab importuna quadam inanis gloriæ tentatione profectus. Dum enim ingrauescète morbo

C ij

consciã

conscientiam suam diligentius excutit, seq. ad extremum comparat mortis agonem, subiit illi repente se iustum esse, neq. vlllo pacto sibi de sempiterna beatitudine dubitandum. Cui suasioni dum resistere vis summa conatur, intelligens vt quisq. sibi maxime placet, ita Deo maxime displicere; diuturnum & anceps intra sese certamē tanta tentatione metuq. sustinuit, vt miris modis quotidie torqueretur, maioremq. ex offensionis diuinę formidine, quàm ex ipsa grassantis morbi vehementia metum ac sollicitudinem caperet. Versabat videlicet in omnes partes hominis animum dæmon callidus, Christi permissu; & quem desperationis iaculis paulo ante superare nequiuerat, eundē rursus nimiaē confidentiaē ac vanitatis elatione supplantare & euertere nitebatur. Sed contra eiusmodi cogitationes Ignatius & in ipso (vt diximus) morbo, & recuperata postmodum valetudine cum diutius dimicaret; partim agendis identidē Domino gratiis, partim naturæ humanæ fragilitatem apud se reputando; deniq. diuino præsidio detestabile hoc ingrati animi vitiū ita debellauit, euulsitq. radicitus, vt postea quoriescumq. salus animarum, aut Dei gloria postularet, sua non minus bona, quàm mala sine vlla prorsus cenodoxia titillatione palam & ingenue expromeret.

De profectiōe Hierosolymitana.

C A P. XI.

INter hæc anni fere spatio exacto, partim spiritualium rerum sciētia instructus, partim etiam arte quadam & cōsuetudine regendarum animarū imbutus, cum nihil vulgare aut exiguum